

post annum 1323. quod Doctor Angelicus Sanctorum fastis ascriptus fuit. Quo ex tempore, nulla videtur dubitandi ratio, quin Officium Sancti Thomæ susceperint particulares omnes Ecclesiarum, ritibus moribusque propriis accommodatum.

CAPUT V.

Opuscula duo, de Venerabili Sacramento Altaris, & de Sacramento Eucharistiæ, non sunt Aquinatis. Eorum auctor ignotus.

I. **N**ter Opuscula, post Officium Sacratissimi Sacramenti, elucubrations duæ num. LVIII. & LIX. recensentur: prima, de Venerabili Sacramento Altaris: altera, minori caractere vulgata de Sacramento Eucharistiæ ad modum decem Prædicamentorum. Neutrâ veteres diligentissimi Nomenclatores memorant. Hanc in utrumque Opusculum censuram exercet Barbavari: „Opusculum LVIII. de Sacramento altaris communi quidem, atque eruditionem Aquinate non indignam præfert; sed versatur in exemplis quibusdam abjectioribus. Quale illud est, cap. 1x. quod Sacramentum pastillo non semel comparat. Insuetis, & omnino vocibus barbaris utitur, quales sunt illæ, ibidem: *Pluviarium pro nimbo, vitrificus pro artifice vitrorum, conjunctus pro indiviso*, & id genus. Illa etiam distinctio trimembris signorum, ibidem, in *naturalia, artificialia, & sacramentalia* prorsus arte caret, cum Sacramenta sub altero priorum membrorum cadant, utpote quæ arte divina posita atque instituta sint. Talis etiam est illa cap. xvii. *Quidam*, inquit, *manducant, & non manducant: alii non manducant, & tamen manducant: alii manducant, & non manducant.* Eadem sæpius reperit usque ad nauseam. In altero ejusdem argumenti Opusculo LIX. eadem deprehenduntur vitia: quare vel utrumque, vel neutrum obelo notandum est. Opusculo LIX. eadem deprehenduntur vitia: quare vel utrumque, vel neutrum obelo notandum est. Opusculo LIX. eadem deprehenduntur vitia: quare vel utrumque, vel neutrum obelo notandum est.

II. Opusculum prius prostat inter Opera Alberti Magni Tomo xli. non in capita xxxi. sed totidem in sermones tributum, cum Prologo, qui desideratur apud Sanctum Thomam. Annuit Jacobus Echardus, ut hoc Opusculum, vel Sermones Alberto Magno adjudicentur: non consentit Oudinus ob vocum aliquarum barbariam, quæ Magnam etiam Albertum dedecere videntur.

Hujusce Opusculi facta comparatione cum altero, de Sacramento Eucharistiæ ad modum decem Prædicamentorum, certiore istud fundamentum, quam illud abjudicandum Thomæ, pronunciat Casimirus Oudinus. Hæc ejus in hanc rem argumenta. Secundo namque Capite fabulosa narratio allegatur Sancti Joannis Evangelistæ, *convertentis virgas lignas in auras, & lapides arenas in lapides pretiosos.* Capite tertio Scholæ doctores vocantur *Doctores Catholicæ*, cum tamen Aquinas eos appellare *Magistros* consueverit. Et capite quinto, ubi de intentione Ministrum ad consecrandum requisita agitur, Scholasticorum aliqui dicuntur *Doctores summi & maximi*, titulo utique haud ipsi consueto. Verus itaque Opusculorum auctor latet. Hæc veritas satis.

DIVI THOMÆ

AQUINATIS,

OFFICIUM DE FESTO CORPORIS CHRISTI,

AD MANDATUM URBANI PAPÆ IV.

DICTUM FESTUM INSTITUENTIS,

OPUSCULUM XIX. *

* AI. LVII.

ROMANI EDITORIS

PRÆLOQUIUM

IN OPUSCULUM SEQUENS,

Ex Chronica quæ appellatur Supplementum Chronicarum.

URbanus Papa IV. Pontificatu suscepto instituit solemnitatem Corporis Christi cum processionibus, & octavis à cunctis fidelibus celebrari: pro quibus indulgentias maximas concessit, ejusque Officium ex veteris testamenti figuris per Divum Thomam Aquinatem censuit esseendum. Hoc idem habetur in ejusdem beati Thomæ legenda, & in pluribus aliis Chronicis, videlicet Ptolemæi Lucensis, Beati Antonini Archiepiscopi Florentini, & alibi. Hoc etiam probatum fuit in apostolico Consistorio, in presentia Domini Papæ Urbani V. dum de translatione corporis ejusdem Doctoris S. Thomæ tractaretur, quod fuit anno Domini 1379. Et tunc ejus corpus sanctissimum ad Conventum Tolosanum Ordinis Prædicatorum translatum fuit. Nam ab ejus obitu felici usque ad illud tempus in monasterio Fossæ novæ sub deposito jacuerat. Et quia ad instantiam Romani Pontificis illud Officium dictavit, ideo secundum morem Romanæ Curie ipsum composuit.

IN FESTO

CORPORIS CHRISTI,

AD PRIMAS VESPERAS.

Aniph. Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech, panem, & vinum obtulit. *Psal.* Dixit Dominus.

Aniph. Miserator, & misericors Dominus escam dedit timentibus se, in memoriam suorum mirabilem. *Psal.* Confitebor tibi.

Aniph. Calicem salutis accipiam, & sacrificabo hostiam laudis. *Psal.* Credidi.

Aniph. Sicut novelle olivarum Ecclesie filii sint in circuitu mensæ Domini. *Psal.* Beati omnes.

Aniph. Qui pacem ponit fines Ecclesie, & frumenti adipe satiat nos Dominus. *Psal.* Lauda Hierusalem.

CAPITULUM.

Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Acci-

pite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. *Resp.* Deo gratias.

Resp. Homo quidam fecit cenam magnam, & misit servum suum hora cenæ dicere invitatis ut venirent: Quia parata sunt omnia. *Vers.* Venite, comedite panem meum & bibite vinum meum quod miscui vobis. Quia. Gloria. Quia.

HYMNUS.

Pange lingua gloriosi Corporis mysterium, Sanguinisque pretiosi, Quem in mundi pretium, Fructus ventris generosi, Rex effudit genitum, Nobis datus, nobis natus, Ex intacta virgine, Et in mundo conversatus, Sparsa verbi semine, Sui moras incolatus, Miro clausit ordine, In supremæ nocte cenæ, Recumbens cum fratribus.

Observata lege plene
Cibus in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.
Verbum caro panem verum,
Verbo carne efficit,
Fique sanguis Christi merum,
Et si sanguis deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergo sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori, genitique
Laus, & jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit & benedictio:
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.
Vers. Panem de celo præstisti eis.
Resp. Omne delectamentum in se habentem.

Ad Magnificat Antiph. O quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de celo præstito esturientes replens bonis, fastidiosos divites dimittis inanes.

ORATIO.

Deus qui nobis sub sacramento mirabili passionis tue memoriam reliquisti, tribuere quæsumus ita nos corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tue fructum in nobis jugiter sentiamus: qui vivis, &c.

AD COMPLETORIUM.

Antiph. Miserere. Psal. Cam invocarem cum cæteris.
Ad Nunc dimittis Antiph. Alleluja, Alleluja. Panis quem ego dederò, Alleluja. Caro mea est pro mundi vita, Alleluja.

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Christum Regem adoretis dominantem genibus. Qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem. Psal. Venite.

H Y M N U S.

Sacris solemnibus juncta sint gaudia,
Et ex præcordiis sonent præconia.
Recedat vetera, nova sint omnia,
Corda, voces, & opera.
Noctis recolitur cœna novissima,
Qua Christus creditur agnum, & azyrna
Decisse fratribus juxta legiuma
Præcis indulta paribus.
Post agnum typicum expletis epulis,
Corpus dominicum datum discipulis
Sic totum omnibus quod totum singulis,
Ejus færemur manibus.
Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit & tristibus sanguinis poculum,
Dicens: Accipite quod trado vasculum,
Omnes ex eo bibite.

Sic sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit
Solis prebyteris, quibus sic congruit,
Ut sumant, & dent cæteris.
Panis angelicus fit panis hominum,
Dat panis calicis figuris terminum
O res mirabiles! manducat Dominum
Pauper servus, & humilis.
Te, trina Deitas unaque, poscimus,
Sic nos tu visita, sicut te colimus:
Per tuas semitas duc nos quo tendimus
Ad lucem quam inhabitas.

Amen,

IN PRIMO NOCTURNO.

Antiph. Fructum salutariter gustandum dedit Dominus mortis suæ tempore. Ps. Beatus vir.
Antiph. A fructu frumenti, & vini multiplicari fideles in pace Christi requiescent. Psal. Cam invocarem.
Antiph. Comunione calicis, quo Deus ipse sumitur, non vitulorum sanguine congregavit nos Dominus. Psal. Conserva.
Vers. Panem cæli dedit eis.
Resp. Panem Angelorum manducavit homo.

LECTIO I.

Immensa divinæ largitatis beneficia exhibita populo christiano inestimabilem ei conferunt dignitatem. Neque enim est, aut fuit aliquando tam grandis natio, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster, Unigenitus siquidem Dei Filius suæ Divinitatis volens nos esse participes, naturam nostram assumpsit, ut homines deos faceret factus homo. Et hoc insuper quod de nostro assumpsit totum nobis contulit ad salutem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatione in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri; sanguinem suum fudit in pretium simul, & lavacrum; ut redempti à miserabili servitute, à peccatis omnibus mundaremur.
Resp. Imolabit hædum multirudo filiorum Israel ad vesperam paschæ. Et edent carnes, & azymos panes.
Vers. Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azyms sinceritatis, & veritatis. Et edent.

Ut autem tanti beneficii jugis in nobis maneret memoria, corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum sub specie panis, & vini sumentium fidelibus dereliquit. O pretiosum, & admirandum convivium, salutariter, & omni suavitate repletum! Quid enim hoc convivio pretiosius esse potest, in quo non carnes vitulorum, & hircorum, ut olim in lege, sed nobis sumendum proponitur Christus verus Deus? Quid hoc sacramento mirabilius? In ipso namque panis, & vinum in Christi corpus, & sanguinem substantialiter convertuntur. Ideoque Christus Deus, & homo perfectus, sub modici panis, & vini specie continetur.
Resp. Comeditis carnes, & saturabimini panibus. * Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum.
Vers. Non Moyses dedit vobis panem de celo, sed Pater meus dat vobis panem de celo. Verum. * Iste.

LECTIO III.

Manducatur itaque à fidelibus, sed minime laceratur; quinimo diviso sacramento integer sub qualibet divisionis particula perseverat. Accidentia autem sine subiecto in eodem subsistunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur aliena specie occultatur, & sensus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis. Nullum etiam sacramentum est isto salubriter, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium spiritualium charismatum abundantia impingatur. Offeritur in Ecclesia pro vivis, & mortuis; ut omnibus prosit quod est pro salute omnium institutum.
Resp. Respexit Helias ad caput suum subcineritium panem, qui surgens comedit, & bibit. * Et ambulavit in fortitudine cibi illius. * Usque ad montem Dei.
Vers. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. * Et ambul. Gloria. * Usque.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Antiph. Memor sit Dominus sacrificii nostri, & holocaustum nostrum pingue fiat. Psal. Exaudiat.
Antiph. Paratur nobis mensa Domini adversus omnes qui tribulant nos. Psal. Dominus regit.
Antiph. In voce exultationis resonent epulantes in mensa Domini. Psal. Quemadmodum.
Vers. Cibavit eos ex adipe frumenti.
Resp. Et de petra melle saturavit eos.

LECTIO IV.

Saviratem denique hujus sacramenti nullus exprimeret sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, & recolitur memoria illius, quam in sua passione Christus monstravit, excellentissimæ charitatis. Unde ut æctius hujusmodi charitatis immensitas fidelium cordibus infingeretur, in ultima cœna quando pascha cum discipulis celebrato transiturus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc sacramentum instituit tanquam passionis suæ memoriale perenne, figuratum veterum impletum, miraculorum ab ipso factorum maximum; & de sua contristatis absentia solatium singulare reliquit.
Resp. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi dicentes: * Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?
Vers. Locutus est populus contra Dominum: Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo. * Quomodo.

LECTIO V.

Convenit itaque devotioni fidelium solemniter recolare institutionem tam salutiter, tanque mirabilis sacramenti, ut ineffabilem modum divinæ presentie in sacramento visibili veneremur, & laudem Dei potentia, quæ in sacramento eodem mirabilis operatur; nec non & de tam salubri, tanque suavi beneficio & olivænti Deo gratiarum debita actiones. Verum etsi in die cœnæ, quando sacramentum prædictum noscitur institutum, inter Missarum solemnitas de institutione ipsius specialis mentio habetur, totum tamen residuum ejusdem diei officium

(1) An assistentibus?

ad Christi passionem pertinet, circa cujus venerationem Ecclesia illo tempore occupatur. Ut autem integro celebratis officio institutionem tanti sacramenti recolere plebs fidelium, Romanus Pontifex Urbanus IV. hujus sacramenti devotione affectus, pie statuit præfatæ institutionis memoriam prima quinta feria post octavas pentecostes à cunctis fidelibus celebrari, ut qui per totum anni circulum hoc sacramentum utimur ad salutem, ejus institutionem illo tempore specialiter recolamus quo Spiritus Sanctus corda discipulorum edocuit ad plene cognoscenda hujus mysteria sacramenti. Nam & in eodem tempore cepit hoc sacramentum à fidelibus frequentari.
Resp. Cœnantibus illis accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: * Accipite, & comedite: hoc est corpus meum.
Vers. Dixerunt vbi tabernaculi mei: Quis det carnis ejus, ut i saturerem? * Accipite.

LECTIO VI.

Ut autem prædicta quinta feria, & per octavas sequentes ejus salutaris institutionis honorificentius agatur memoria, & solemnitas de hoc celebrari habeatur; loco distributionum materialium, quæ in Ecclesiis cathedralibus largiuntur (1) existentibus horis canonicis nocturnis pariterque diurnis, præfatæ Romanus Pontifex eis qui hujusmodi horis in hac solemnitate personaliter in Ecclesiis interfuerint, stipendia spiritualia, apostolica largitione concessit: quantum per hæc fideles ad tanti festi celebratorem avidius & copiosius convenirent. Omnibus igitur vere poenitentibus, & confessis, qui manutiali officio hujus festi presentialiter in Ecclesia ubi celebratur aderunt, centum dies; qui vero Missæ, totidem; illis autem qui interfuerint in primis ipsius festi vesperis, similiter centum; qui vero in secundis, totidem; eis quoque qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, ac Completorii aderunt officio, pro qualibet ipsarum quadragesima; illis vero qui per ipsius festi octavas in manutialibus vesperis Missæ, ac horarum prædictarum officio presentes interfuerint, singulis hebdomadarum ipsarum centum dies de injunctis sibi poenitentis relaxando indulgentiam tribuit perpetuis temporibus duratam.
Resp. Accipit Jesus calicem postquam cenavit, dicens: * Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. * Hoc facite in meam commemorationem.
Vers. Memoria memor ero, & tabesceat in me anima mea. * Hic. Gloria. * Hoc.

IN TERTIO NOCTURNO.

Antiph. Introibo ad altare Dei, sumam Christum qui renovat juventutem meam. Psal. Judica me Deus.
Antiph. Cibavit nos Dominus ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit nos. Psal. Exultate Deo.
Antiph. Ex altari tuo, Domine, Christum somimus, in quem cor, & caro nostra exultant. Psal. Quam dilectam mentem tuam, Domine, regem tuam.
Vers. Educas panem de terra.
Resp. Et vinum liquificet cor hominis.

(1) An assistentibus?

(1) An assistentibus?

LECTIO VII.

Secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, & turbis Judaeorum: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, & reliqua.

Homilia Beati Augustini Episcopi.

CUM enim cibo, & potu id appetant homines ut non esuriant, neque sitiant; hoc veraciter non prestat nisi iste cibus, & potus, qui eos à quibus sumitur, immortales, & incorruptibiles facit, id est ipsa societas Sanctorum ubi pax erit, & unitas plena atque perfecta. Propterea quippe, sicut ante nos intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesu Christus corpus, & sanguinem suum in eis rebus commendavit quæ (1) ad unum aliquid rediguntur. Ex multis namque granis unum panis conficitur, & ex multis racemis vinum confluit.

Resp. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, * In me manet, & ego in illo.

Vers. Non est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. * In me.

LECTIO VIII.

Denique jam exponit quomodo id fiat quod loquitur, & quid sit manducare corpus ejus, & sanguinem bibere. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio non manducat spiritualiter ejus carnem (licet carnaliter, & visibiliter premat dentibus sacramenta corporis, & sanguinis Christi) sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat, & bibit qui immundus præsumit ad Christi accedere (2) sacramentum, quod alius non digne sumit, nisi qui mundus est: de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Resp. Misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; * Et qui manducat me, vivet propter me. *Vers.* Civabit eum Dominus pane vitæ, & intellectus. * Et qui.

LECTIO IX.

Sicut me misit, inquit, vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse vivet propter me. Non enim filius participatione Patris fit melior, (3) qui est Patri æqualis, sicut participatione Filii per unitatem (4) corporis & sanguinis, (5) quam illa manducatio, potatioque significat, nos efficit meliores. Vivimus ergo nos propter ipsum, manducantes eum, (6) id est per Christum accipientes vitam æternam, quam non habemus ex nobis. (7) Vivit autem ipse propter Patrem missus ab eo, quia

(1) Augustinus tract. xxvi. in Joan. 11. 17. quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis confit; aliud in unum ex multis acinis confluit. (2) Augustinus ibi num. 18. sacramenta, quæ aliquis non digne sumit &c. & paulo antesacramentum corporis &c. pro sacramenta corporis, & mox quia pro qui. (3) Idem qui est natus æqualis. (4) Idem corporis ejus. (5) Idem quod. (6) Idem: id est, ipsum accipientes vitam æternam vitam: quam non habebamus ex nobis. (7) Al. Vivet. (8) Augustinus tantum: usque ad mortem crucis. (9) Augustinus: Ut ego vivam propter Patrem: & mox: Ego itaque humiliter pro Ego autem. (10) Sequentia usque ad finem lectionis in editis Augustini non habentur.

semetipsum exinanivit, factus obediens (8) usque ad mortem, mortem autem crucis. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse vivet propter me; ac si diceret: (9) Et ego vivo propter Patrem, id est ut ad illum tantquam ad majorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me misit; ut autem quisque vivat propter me, participatio facit, quæ manducat me. Ego autem humiliatus vivo propter Patrem, & ille erectus vivit propter me. (10) Non de ea natura dixit, quæ semper est æqualis Patri, sed de ea in qua minor factus est Pater: de qua etiam superius dixit: Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.

Resp. Unus panis, & unum corpus multi sumus. * Omnes qui de uno pane & de uno calice participamus.

Vers. Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus, qui habitare facis unanimes in domo. * Omnes. Gloria. Participamus.

Vers. Comedi favum meum cum melle meo. *Resp.* Bibi vinum meum cum lacte meo.

IN LAUDIBUS.

Antiph. Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam. Alleluja. *Psal.* Dominus regnavit.

Antiph. Angelorum esca nutritivi populum tuum, & panem de caelo præstitisti eis. Alleluja.

Antiph. Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus. Alleluja.

Antiph. Sacerdotes Dei incensum, & panes offerunt Deo. Alleluja.

Antiph. Vincenti dabo manna absconditum, & nomen novum. Alleluja.

CAPITULUM.

Dominus Jesus &c. ut in primis Vesperis.

HYMNUS.

Verbum supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitæ vespertim.
In mortem à discipulo
Suis tradendus æmulis,
Prius in vitæ ferculo
Se tradidit discipulis.
Quibus sub bina specie
Carnem dedit, & sanguinem,
Ut duplicis substantiæ
Totum cibaret hominem.
Se nascens dedit soñum,
Convalescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.
O salutaris hostia,
Quæ cæli pandis ostium,

Bel-

Bella præmunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.

Uni, trinque Domino
Sit sempiterna gloria,

Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria. Amen.

Vers. Posuit fines tuos pacem.
Resp. Et adipe frumenti satiat te.

Ad Benedictus Antiph. Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.

Oratio ut in primis Vesperis.

Ad primam, & ad omnes horas Antiphona Laudum, quæ excepta. *Resp.* Jesu Christe. *Vers.* Qui natus es de Virgine Maria: & dicatur per totam Octavam.

Ad Tertiam Cap. Dominus Jesus. *Resp.* Panem cæli dedit eis. Alleluja, Alleluja. *Vers.* Panem Angelorum manducavit homo. Alleluja Alleluja. Gloria. Panem. *Vers.* Civabit eos &c.

Ad Sextam Cap. Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibeis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat. *Resp.* Civabit eos &c. Alleluja, Alleluja. *Vers.* Et de petra &c. Alleluja, Alleluja. Gloria. Civabit. *Vers.* Educas panem.

Ad Nonam cap. Quicumque manducaverit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini. *Resp.* Educas panem &c. Alleluja, Alleluja. *Vers.* Et vinum iustificet &c. Alleluja, Alleluja. *Vers.* Et vinum iustificet &c. Alleluja, Alleluja. *Vers.* Educas. *Vers.* Posuit fines tuos pacem. *Resp.* Et adipe frumenti satiat te.

Ad Vesp. super Psal. Antiphona Laudum. Psal. Cap. Hymn. Vers. sicut in primis Vesp.

Ad Magnificat Antiph. O sacrum convivium, in quo Christus sumit, recollitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Alleluja, Alleluja.

Oratio ut in primis Vesperis.

Per octavam Invitator. Christum panem Angelorum, & hominum, Venite adoremus.

Ad Benedictus Antiph. Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi: qui manducat ex hoc pane, vivet in æternum.

Ad Magnificat Antiph. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.

Cætera omnia fiant sicut in die.

AD MISSAM.

Civabit eos ex adipe frumenti, Alleluja: & de petra melle saturavit eos, Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Vers. Exultate Deo adiutori nostro, jubilate Deo Jacob. Gloria Patri &c.
Gloria in excelsis &c.

ORATIO.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quaesumus, ita nos corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus, qui vivis &c.

LECTIO Epistolæ B. Pauli Apostoli ad Corinthios.

Fratres, ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua

nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiescumque sumitis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibeis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.

Resp. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno.

Vers. Aperis tu manum tuam, & implebis omne animal benedictione. Alleluja.

Vers. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.

Sequentia.

Lauda Sion Salvatorem.

Lauda ducem & pastorem
In hymnis & canticis.

Quantum potes, tantum aude,
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficit.

Laudis thema specialis,
Panis vivus, & vitalis
Hodie proponitur.

Quem in sacra mensa cœna,
Turbæ fratrum duodenæ
Datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit honor,
Sit jucunda, sit decora
Mentis jubilatio.

Dies enim solemniss agritur,
In qua mensæ primæ recollitur
Hujus institutio.

In hac mensa novi Regis,
Novum pascha novæ legis,
Phase vetus terminat.

Vetustatem fugiatis,
Umbrae novæ veritas,
Noctem lux eliminat.

Quod in cœna Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.

Docti sacris institutis,
Panem vinum in salutis
Consecramus hostiam.

Dogma datur Christianis,
Quod in carne transit panis,
Et vinum in sanguinem.

Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides
Præter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus,
Signis tantum, & non rebus,
Latent res eximie.

Caro cibus, sanguis potus,
Manet tamen Christus totus
Sub utraque specie.

Assumentem non concisus,
Non contractus, non divisus,

Integer assumitur.
 Sumit unus, sumunt mille.
 Quantum isti, tantum ille;
 Nec sumptus consumitur.
 Mors est malis, vita bonis.
 Vide paris sumptionis
 Quam sit dispar exitus.
 Fractio demum sacramento,
 Ne vacilles, sed memento
 Tantum esse sub fragmento
 Quantum toto regitur.
 Nulla rei fit scissura,
 Signi tantum fit fractura,
 Qua nec status, nec statuta
 Signati minuitur.
 Ecce panis Angelorum,
 Factus cibus viatorum,
 Vere panis filiorum,
 Non mitendus canibus.
 In figuris praesignatur,
 Cum Isaac immolatur,
 Agnus paschae deputatur,
 Datur manna patribus.
 Bone pastor, panis vere,
 Jesu nostri misere,
 Tu nos pasce, nos tuere,
 Tu nos bona fac videre
 In terra viventium.
 Tu qui cuncta scis, & vales,
 Qui nos pascis hic mortales,
 Tuos ibi commensales,
 Coheredes, & sodales,
 Fac sanctorum civium. Amen.

Secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, & tur-
 bis Judaeorum: Caro mea vere est cibus, & san-
 guis meus vere est potus. Qui manducat meam car-
 nem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego vi-
 vo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse vi-
 vet propter me. Hic est panis qui de caelo descendit.
 Non sicut manducaverunt patres vestri manna, &

mortui sunt: qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.

Credo.
 Offeruntur. Sacerdotes incensum Domini, & pa-
 nes offerunt Deo; & ideo sancti erunt Deo suo, &
 non polluent nomen ejus. Alleluja.

Secrata.

Ecclēsie tuae, quaesumus Domine, unitatis, &
 pacis propitius dona concede, quae sub oblati
 numeribus mystice designantur.

Præfatio. Quia per incarnati.
 Sanctus. Divinum mysterium semper declaratur,
 & mens infidelium tumens exaceratur, firma spes
 credentium fide roboratur.

Sanctus. Fides est summo opere credere in Deum,
 panem sanctum edere, & tractare eum. Jubens di-
 cit: Sumite: hoc est corpus meum.

Sanctus. Panis prius cernitur; sed dum consecra-
 tur, caro Christi sic mutatur: quomodo converti-
 tur, Deus operatur.

Dominus Deus Sabaoth. De vino similiter, si sit
 benedictum, & tunc est veraciter sanguis Christi
 dictum: credamus communiter verum, & non fic-
 tum.

*Pleni sunt caeli, & terra gloria tua: hosanna in ex-
 celsis.* Nobis celebrantibus istud sacramentum, &
 cunctis fidelibus fiat nutrimentum, Judaeis negan-
 tibus sit in detrimentum. *Benedictus qui venit in no-
 mine domini: hosanna in excelsis.*

Communio. Quotiescumque manducabitis panem
 hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annun-
 tiabitis donec veniat. Itaque quicumque manducave-
 rit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus
 erit corporis, & sanguinis Domini. Alleluja.

Postcommunio.

FAC nos, quaesumus Domine, Divinitatis tuae
 sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi cor-
 pori, & sanguinis tui temporalis perceptio praefigu-
 rat: qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate
 Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum.
 Amen.

IN DUO SEQUENTIA
 OPUSCULA
 FR. JOANNIS FRANCISCI BERNARDI
 MARIE DE RUBEIS
 ORDINIS PRÆDICATORUM,
 AD MONITIO PRÆVIA

De Opusculis, de Regimine Principum ad Regem Cyprī, itemque de Eruditione
 Principum, atque de Regimine Judaeorum ad Comitissam Flandriae.

CAPUT I.

*Opus de Regimine Principum ad Regem Cyprī Sancto Thoma Aquinatis adjuvante Veteres: quis ille Rex Cyprī.
 Libri quatuor qui prostant, non unum Opus conficere videntur, sed opera duo diversa. Primi operis pars major
 est Aquinatis, reliqua Pitholomaei Lucensis.*

I. Vicesimum in Editione Romana numeratur Opusculum, de Regimine Principum ad Regem Cyprī. Etu-
 cubationem hanc ab Aquinate concinnatam, tradunt Veteres. Pitholomaeus Lucensis in Hist. Eccl.
 Libro XVIII. Capite xlii. sic ait: „Item Tractatus de Regimine Principum, qui sic incipit: *Cogitant mihi
 quid offerrem.* Quem librum scripsit ad Regem Cyprī.“ Bartholomaeus Logobeta: *De Regno ad Regem
 Cyprī.* Bernardus Guidonis: *Tractatus de Regimine Principum ad Regem Cyprī: qui incipit: Cogitant mihi quid
 offerrem Regia celsitudinis dignum.* Nicolaus Trivetus: *De Regno ad Regem Cyprī.* Joannes de Columna: *De
 Regimine Regum ad Regem Cyprī: quod quidem Opus minime complevit.* Consentiant Pignonus, Valleoleta-
 nus, S. Antoninus.

Quis ille fuerit Rex Cyprī? Jo: Paulus Nazarius vocat *Americum*: at Cyprī regnum tota Aquinatis tra-
 te administravit nemo, qui *Americus* appellaretur. Stephanus de Lusignano in Genealogia Regum Cyprī
 apud Behardum, censet esse *Hugonem III.* à stirpe Lusiana, Principem primo Antiochia, circa annum
 1267. Regem Cyprī, demum Hierosolymorum Regem. *Hugoni II.* qui præcesserat, anno 1266. vel in-
 sequenti denaro, cum annorum ætatis quatuordecim esset, inscriptum Opusculum, verisimiliter existimatur
 Echaridus. Ipsam consule egregie disserentem.

II. In Libros quatuor tributum opus exhibens Codices MSS. ac typis edita exempla. At Opuscula duo dis-
 tinguenta esse: tributa singula in Libros duos, verissime animadvertit Doctissimus Echaridus. In fine li-
 bri primi hæc habentur: *Hæc igitur sunt, quæ ad Regis officium pertinent, de quibus per singula diligentius
 tractare oportet.* Argumenta indicantur, quæ Libro secundo exponi debeant. In hujus calce postrema hæc ver-
 ba sunt: *Hæc igitur de pertinentibus ad regimen cuiuscumque Domini, sed præcipue Regalis in hoc Libro in tan-
 tum sunt dicta.* His utique verbis satis indicat Auctor, de dominio sibi nihil suppressæ addendum: unde ne-
 quis etiam nullus apparet, quo sicuti primus cum altero, ita iste cum tercio connecti debeat.

In ipso Libro tertio initium sumitur ab ovo: agiturque de origine domini, quod esse à Deo ostenditur.
 In Præfatione primi Libri dixerat Auctor: „Occurrit... ut Regi librum de Regno conscriberem: in quo
 & Regni originem, & ea quæ ad Regis officium pertinent, secundum Scripturæ divinæ auctoritatem,
 Philosophorum dogma, & exempla laudatorum Principum depromerem.“ Tum originem domini capite
 1. patefacit hisce principiis: 1. „Hominis est aliquis finis, ad quem tota vita ejus, & actio ordinatur. 2.
 „Naturale est homini, ut sit animal sociale, & politicum, in multitudine vivens: 3. Est necessarium ho-
 mini, qui in multitudine vivit, ut unus ab alio adjuvetur. 4. Si naturale est homini quod in societate mul-
 torum vivat, necesse est in hominibus esse, per quod multitudo regatur. Regentis Domini, seu domini
 origo patet. Hæc eadem origo exponenda adsumitur Libro tertio: eademque capite 1. sumitur, *conside-
 rata natura entis: cap. 2. ex consideratione motus: capite 3. per considerationem finis.* Quid opus erat, rem à
 principio redauspicari? Variam etiam animadvertere methodum, differentemque doctrinam.

A versiculo sacre Scripturæ tum Libri tertii, tum Quarti sumitur initium. Tertius incipit: *Et quia cor
 Regis in manu Dei, quocumque voluerit inclinabit illud: ut in Proverb. 21. scribitur: quod & ille magnus
 Monarcha in Oriente Cyrus videlicet Rex Persarum, per publicum confiteatur edictum.* Quarti initium
 est: „Constituens eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui, Domane.“ (Psal. 44.) Licet do-
 minium omne, sive Principatus à Deo sit institutus &c.“ Non ita se gerit in duobus prioribus Auctor:
 qui